



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XIII. De torneamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

litaria munia obire, ita ut certò, vel admodum probabiliter defutura sit iusta defensio, nisi Religiosius ad bellum defensivum regendum, aut gerendum accingatur: & extra huiusmodi necessitatem peccant lethaliter, & irregulares fiunt clerici bellicis negotiis se implicantes, quia canones, qui clericos arcent à bello, non minùs vigent hoc casu, quàm in bello aggressivo. Et ratio ducta ex natura status clericalis abhorrentis ab effusione humani sanguinis idem evincit. Quæ omnia defuerant in præsentis textus specie, cum essent alii laici, qui possent castrum defendere; unde clericus, etiam in bello defensivo pugnaret, tamen erat absque necessitate, & per consequens irregularis manebat. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis ex variis exemplis piorum virorum, qui bellis interfuerunt; nam vel referenda sunt exempla illa ad pravos mores illius sæculi, vel ad necessitatem belli defensivi, aut supponenda est licentia Romani Pontificis; nam ex ejus voluntate, & dispensatione rectè possunt Prælati etiam majores Ecclesiastici bellum ducere, ac regere, ut pluribus relatis probat Theophilus *disto tract. de religio toricato, apod. 10. §. 3. Diana part. 10. tract. 2. resol. 3.*

8. Sed suprâ traditis adhuc obstat Concil. Illense relatum à Gratiano *in cap. de his 36. 50. dist.* ubi clericus, qui intra civitatem obfessi sanguinem hostilem fuderant, à communione per biennium arcentur, pœnitentiâ illis injunctâ. Igitur quia nec in bello defensivo licet clericis propriâ manu

pugnare. Pro cuius canonis expositione dicendum est, quod etiam in bello defensivo liceat cuicumque, etiam clericis, arma sumere, tamen si homicidium perpetretur non servato moderamine inculpate tutele, vel quia absque necessitate clericus bello se immiscuit, aut cum posset in vasorem absque cæde declinare, maluit eum confodere, irregularitatem homicida contrahit, & peccat lethaliter; quia tunc supergreditur justam defensionem, & potius intendit ultionem, quàm necessariam defensionem: de quo homicidio, non servato iusto moderamine commisso, accipiendi sunt D. Basilii *in epist. ad Amphilocho. can. 43. ibi: Qui mortis vitium dedit proximo, est homicida, sive prior percussit, sive ultus est.* Concil. Tribur. sub Formoso *can. 11. ibi: Si quis clericus, quavis nimium coactus, homicidium fecerit, sive sit presbyter sive diaconus, deponatur.* Et *cap. presentium de cleric. percussore.* Ex exemplum, quod refert Balthamon *in dist. can. 43. sancti Basilii,* de quodam Episcopo, qui depositus fuit tanquam irregularis, eo quod in bello interfecisset quendam Agarenum, qui ense ipsum appetierat. Illi enim textus procedunt juxta præsentem casum, videlicet cum homicidium ob defensionem perpetratum fuit, sed absque necessitate, nec servato moderamine inculpate tutele: & ita rectè pro eo pœnitentiâ injungitur, & irregularitas statuitur.

Hinc etiam exponendus est textus *in cap. final. de cleric. conjug. junctis per me adductis in ejus commentario.*

TITULUS XIII

De torneamentis.

CAPUT I.

Ex Concilio^a Lateran.

Felicis memoriæ Papæ^b Innocentii, & Eugeni prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, detestabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgò torneamenta vocant, in quibus milites ex^d condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temerè congregiuntur, unde mortes hominum, & animarum pericula sæpè proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei postea pœnitentiâ non negetur, Ecclesiasticâ tamen careat sepultura.

NOTÆ.

^a *Lateran.*) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1 & reperitur textus hic *in cap. 20. Concilii Later. Generalis,* celebrati sub Alexandro III. de quo Concilio nonnulla adduxi *in cap. 27. de rescriptis.*

^b *Innocentii.*) Secundi videlicet, qui in Synodo Romana *can. 10.* prohibuit omninò torneamenta, quæ fiebant ad virium ostentationem.

^c *Eugenii.*) Tertii videlicet, qui in Concilio Rhemenfi *can. 12.* prædictam constitutionem Innocentii minùs exactè servatam restituit per hæc verba: *Temerariam similiter audaciam quorundam qui ad detestabiles nundinas, vel ferias ex condicto solent ad concertationem virium suarum convenire, unde hominum sæpè pericula proveniunt, omninò fieri interdiximus: quod si quis ibidem mortuus fuerit, viaticum ei non negetur, ecclesiasticâ tamen careat sepultura.* Refertur *in cap. 2. hoc tit. in 1. collect. & ab illustissimo Marique rom. 2. annual. Cist. anno 1148. cap. 4.*

^d *Condicto.*) Alii legunt *conducto*, alii *edito*, ut notavit Salmutius *ad Panciroliam lib. 2. memorab. tit. 20.* Sed retinenda est vulgaris lectio, ut etiam habetur in Concilio Rhemenfi, à quo accepit Alexander III. nam *condictum*, ut Festus eodem verbo interpretatur, est *simul dictum*,

dictum; & condicere nihil aliud est, quam diem, locumque communi consensu constituere: & quia accedentes ad torneamenta tempus, locumque communi consensu constituunt, ideo ab Alexandro III. eos ex condicito convenire dicitur.

e *Pœnitentia*) In dicto canone 12. Concilii Rhemenfis legitur *viaticum*, quod pro pœnitentia plerumque admittitur, ut dicemus infra, in *cap. 2. de raptor.*

CAPUT II.

Alexand. III.^a Albarien. Episcopo.

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod cum accessisset quidam ad locum deputatum torneamenti causâ requirendi^b debita sua à quibusdam militibus quos eò venturos putabat, accidit quod violenter, & inconsideratè ab equo, in quo sedebat, super eum cadente compressus, & mortuus est; sed prius dominicum corpus suscepit, & sacri olei unctione perunctus est. Unde pro eo, quod in torneamento mortem accepit, ei sepultura fidelium prohibetur. Nos verò attendentes, quod his tantum, sicut credimus, ecclesiastica sepultura debeat interdici, qui ad torneamentum animo id faciendi tantum accedentes ibidem decedunt: fraternitati tuæ m. quat. si tibi confiterit, quod præfatus I. ad prædictum torneamentum non animo ludendi, sed animo recipiendi credita pervenisset, licet ibi fortuito casu obierit, corpus ejus dispensativè facias ecclesiasticæ tradi sepulturæ, maxime si dominicum corpus suscepit, & sacri olei fuerit unctione perunctus,

NOTÆ.

1. **A**lbarien(s) Ita legitur in secunda collectione, sub hoc titulo. cap. 1. in hac autem sexta collectione legitur *Anatensis*; sed legendum est *Ambianensis*, ut in margine dictæ collectionis notatur, de qua Ecclesia egi in *capit. 10. de regul.*
2. **Requirendi debita.** Non per singulare certamen, monomachiam videlicet, seu duellum, de quo agemus infra *titulo sequenti*; sed ut à militibus, qui ibi torneamentorum causâ conveniebant, debita exigeret, ut ex sequentibus verbis aperte constat.

COMMENTARIUM.

EX his duabus constitutionibus sequens communiter deducitur assertio: *Qui pugnandi animo ad torneamenta accedit, in eisque occiditur, sepeliri non debet in Ecclesiastica sepultura, etsi pœnitentia illi non denegetur.* Probat eam textus in *capit. quicumque*, el. 1. 23. *quæst. 8.* Synodus Romana sub Innoc. II. *cap. 10.* ibi: *Detestabiles illas nundinas, vel ferias, in quibus milites ex condicito veniunt, & ad ostentationem virium suarum, & audacia temerè congregantur, unde mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt, omnino fieri interdiciamus. Quod si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei postea pœnitentia, & viaticum non negetur, ecclesiasticâ tamen careat sepulturâ.* Concil. Rhemense in *can. 10.* supra relato. Lateran. Generale sub Innoc. III. in fine, ibi: *Licet torneamenta sint in diversis Conciliis sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore crucis negotium per ea plurimum impeditur, nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus usque ad trimum exerceri.* Relert Anton. Augustin. in *epit. juris*, lib. 35. *titul. 1. par. 8.* illustrant ultra D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

congestos à Barboza in *presenti*, Corvinus *lib. 4. aphorism. titul. 14.* Scortia in *select. Pontific. constit. epit. 99. theor. 244.* Petrus Gregor. *lib. 39. syntag. cap. 5.* Covarr. *lib. 2. variar. cap. 1. num. 11.* Sanctus Raymãndus in *summa*, lib. 2. *titul. 2. Luna & Arellanus de jur. ration. lib. 2. capit. 9. num. 14.* Azor *tom. 3. instit. lib. 2. cap. 15.* Pantoja in *l. final. C. de aleatoribus*, num. 84. Pancirolo *lib. 2. memorab. titul. 20.* ubi Salmutius P. Gregor. *lib. 1. partit. titul. 17. cap. 7.* Mariana de *spectaculis*, lib. 4. *cap. 16.* Guzman de *el. onesto trabajo*, *discurs. 6. §. 3.* Alcozer de *ludo capit. 53.* Murga *tom. 2. tract. disput. 9. per tot.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo; Etsi certamina gladiatoria jure prohibita sint, *l. unic. C. de gladiator. l. 12.* ubi plura D. Nicolaus de Castro; tamen certamina, quæ virtutis causâ fiunt, veluti hastæ, pilæve jactus, cursus, saltus, lucta, pugillatus, permittuntur, *l. solent, ff. de aleatoribus, l. 1. C. eod. titul.* Tum quia populus in otio ferrox, effrænis in pace, permittis voluptatibus delinendus, detinendusque est, ne ruat ad illicita. Bene apud Tacitum Julius Agricola: *Bello faciles, quieti, & otio per voluptates assuescunt.* Hanc habuere perpetuam ejus rei curam boni Principes & amatores pacis, prout liquet ex eorundem constitutionibus in *l. 1. C. de spectaculis, l. 1. C. de expensis ludorum, l. 2. C. Theodos. de spectaculis, l. 3. eod. C. de scenicis, l. 2. C. Theodos. de majum.* ibi: *Ne ex nimia restrictione tristitia generetur.* Rectè Theodoricus apud Cassiodorum *lib. 1. variar. cap. 20.* de iisdem spectaculis ait: *Undecumque præstare possumus, dignum nostris sensibus æstimamus, præsertim cum beatitudo sit temporum letitia populorum, tum gratiâ ostendenda virtutis, tum causâ experiendarum virium.* Et *l. 1. §. item Senatus ff. de postul. nec interest.* quod aliquando mors contingat, siquidem non injuriæ causâ, aut gratiâ damnandum, sed virtutis ostendendæ gratiâ contingit, & ideo legi Aquiliæ

4. Traditio deo dendi.

B b

locus

locus non est, *l. qua actione* §. *Si quis in colluctatione*, ff. *ad leg. Aquil. Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. sect. 3.* Igitur non rectè in præsentibus prohibentur torneamenta, quæ inter milites, ut aptiores ad pugnam, & magis expediti reperiantur, fiunt. Accedit quod quando finis, ad quem actus dirigitur, bonus est, actus quoque bonus iudicatur, *lib. sita stipulatus 14. l. in insulam 124. ff. de V. O. l. cum aurum 19. §. perveniamus*, ff. *de auro & argento, l. rem non novam 14. C. de iudiciis.* Everard. *in Topicis, loco 13. à virtute finis.* Sed torneamenta facta ad virium ostentationem respiciunt finem exercitii militaris, *dist. lib. qua actione 7. §. si quis in colluctatione, lib. 9. §. final ff. ad leg. Aquil. textus elegans in nomine*, §. *pro limitaneis*, *C. de offic. Prefect. Afric.* quia ut ait Vegetius *lib. 1. de re milit. cap. 1.* in omni prælio non tam multitudo, & virtus indocta, quam ars, & exercitium solent præstare victoriam: ergo non rectè in præsentibus prohibentur torneamenta, cum ad virium exercitium fiant cum magna Reipublicæ utilitate, cuius publicum bonum attendi, & præferri debet, *l. unic. in fin. C. de caduc. tollend. l. 3. §. utrum in fine*, ff. *ad Syllan. lib. actione 65. §. Labeo, pro socio.* Etiam difficilis est pœna privationis sepulture concessa pœnitentiâ; nam quibus communicamus vivos, communicare debemus defunctis, & econtra, ut probavi *in cap. sacris, de sepulture.* Facit textus *in cap. quæsitum 13. quæst.* Igitur si decedentibus in torneamentis conceditur pœnitentiâ, injustè denegatur sepultura ecclesiastica.

5. Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præsentibus assertio, pro cuius expositione sciendum est, torneamenta esse hastiludia, sive ludicram pugnam equestrem, & præparationem ad bellum, de illis agunt Cæsaribus *lib. 2. miraculor. cap. 12.* ibi: *Causâ laudis humane torneamenti votus deditus.* Et *lib. 7. cap. 39.* *Cum properaret ad quoddam torneamentum.* Candenus *in sua Britannia, pag. 191.* proisdem habet torneamentum, & mentam rotundam; sed apertè separat Mattheus Paulius *in Henrico III. ad annum 1252.* ibi: *Milites ut exercitio militari peritiam suam, & strenuitatem experirentur, constituerunt unanimiter, non ut in hastiludio illo quod communiter, & vulgariter torneamentum dicitur, sed potius in illo ludo militari, qui mensa rotunda dicitur, vires suas attentarent.* Dicuntur torneamenta, ut alii volunt, à Græco verbo *ἄγων*, quod est circuire. Covarr. *in thesauro, verbo Torneo.* Alii à Trojano ludo ducere malunt torneamentum, quasi Trojamentum. Firmatur eorum sententia ex eo, quod equestri pugna Trojanum excidium apud veteres juvenus soleret representare: de quo Trojano ludo agunt Tacitus *lib. 6. annal. Virgilius lib. 5. Æneid.*

Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus

Ascanius longam muris cum cingeret Albam
Retulit, & præfatos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo, secum quo Troja pubes.
Albani docueres suos: hinc maxima porro
Accepit Roma, & patrium servavit honorem.

Trojaque nunc pueri, Trojanum dicitur agmē.
Ideo Trojani ludi dicebantur, & à pueris tantum majoribus, & minoribus in circo celebrabantur. Tacitus *lib. 11. ibi: Sedente Claudio cir-*

consibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Troje inirent. Suetonius *in lul. cap. 39.* ibi: *Trojanum lusi turma duplex majorum, minorumque puerorum.* Et *in Augusto, cap. 43.* Sed & Troje ludum edidit frequentissimè magnorum, minorumque puerorum, delectu pasci decoris minores existimans, & clara stirpis indolem sic innotescere. Dio-cassius *lib. 43. ibi: Et jam Trojam antiquo more Patriciorum siliu inserunt; juvenes, qui dignitate aequales erant, curribus certaverunt.* Trojanum ludum appellant torneamenta, Rosin *lib. 5. antiquit. capit. 15. P. Raderus in comment. ad Martialem, lib. 7. capit. 11. Navarr. in Manuali, capit. 15. num. 9.* Unde cognoscitur, torneamentum non solum significare prælium fictum, verum & cruentum, *lib. 27. titul. 13. part. 2.* ubi referens Magnus Alfonso bellorum differentias, ait: *Otra manera ay de lidiar, la qual llamaron torneo.* Et *l. 18. titul. 2. ead part Torneo que se voluêse de dos guesstes, que est uniesse una cabo otra.* Sed corruptâ voce torneamenta tandem dicta esse à Teutonicis primùm auctor est Wolfgangus Lazius *lib. 10. Reipub. Romana, cap. 2.* Sed in hoc differunt à veteri Trojano ludico, quod non solum pueri, verum etiam viri hodie certant, nec aperto capite, coronatoque, sed casside tecto certamen inicit, & fiunt torneamenta in communi lætitiâ, ut victoria, nuptiis, adventuque Principis.

Deinde sciendum est, hæc quidem torneamenta, seu hastiludia dupliciter exerceri, aut fieri posse: primò si ad ostentationem virium vesana audacia temerè lanceis acutas cuspides habentibus discongediantur; qualia fuerunt olim ea, de quibus veniit D. Isidor. *lib. 18. orig. cap. 53.* ait: *Genera gladiatorum plura, quorum primus ludum equestrem, duo enim equites procedentibus prius lignis miraribus, unus à porta Orientis, alter ab Occidentis procedebant in equis albis cum aureis galeis, minoribus, & virioribus armis, scilicet atroci perseverantia pro virtute sua inibat pugnam, dimicantes usque alter in alterius mortem profliret, ut haberet qui caderet casum gloriæ quis perimeret.* Quorum torneamentorum descriptionem elegantissimè in annalibus suis metricis representavit Ianus Douza *lib. 2. fol. 33.* & de eorum usu & incommodis plura Douza ejus filius *annal. Hollandie lib. 9. fol. 457.* Sed hæc spectacula gladiatoria sublata fuerunt novâ constitutione Imperat. Constant. *in l. unic. C. de gladiatorib. lib. 11.* licet jam Digestorum tempore similes ludos prohibitos fuisse teneat Pantoja *in l. final. C. de aleat. numer. 85.* Secundò cum in his hastiludiis, seu torneamentis, mortis periculum non timeatur, quia virtutis causâ tantum fiunt hastis sine cuspidibus, ut sunt ea, quæ vulgò dicimus, *torneos y justas reales*; & luforiis lanceis, hebetibusque ensibus exercentur, & sæpe vallo in medio curriculi in directum ducto, vulgò *rela*, ita ut equi utrimque ex adverso positi currentes obviare sibi nequeant: & hæc hastiludia clericis prohibita, laicis verò omni jure permissa constat ex Concil. Herbipol. tempore Honorii IV. celebrato, *can. 4. ibi: Hastiludia, & torneamenta clerici qui sunt in dignitatibus, personatibus, seu in sacris ordinibus constituti, hoc edito perpetuò sibi noverint interdita.* Et probant Sylvester in *summa, verbo Ludus, & Torneamentum.* Jul. Clarus *lib. 5. sentent. §. ludus, num. 4.* Tufchus *verbo Ludus, conclus. 456.* Alcozer *de ludo cap. 51. & 52.* & de iis edidit constitutionem Cælesti-

Cælestinus III. in epist. ad Episcopos Angliæ, quam refert Rogerius in *annalibus*, prohibens ne in Terra sancta, ubi steterunt pedes Domini, torneamenta exercenda virtutis causâ inventa fiant: ubi torneamenta intelliguntur, non hastiludia, & cruenta prælia, sed prædicta torneamenta, quæ licita sunt, de quibus etiam accipiendus est Innocent. III. in *Concil. Lateranens.* supra relato, dum in eo ob crucis expeditionem usque ad triennium torneamenta prohiberi exerceri: ea enim hastiludia Christianis permittebantur, ut ita expeditiones contra Christi hostes essent, ut in Richardo Rege Angliæ refert *Matthæus Paris. ad annum*

1194. His suppositis apparet ratio præsentis constitutionis; nam ludus cum omnino inculpatus esse debeat, & innoxius, *l. nam 10. ff. ad leg. Aquil. in furti 50. §. final. ff. de furtis*, nec qui rectè ludos appellaverit, ex quibus crimina oriuntur, ut inquit *Justinianus in §. illud verò*, in oratione ad Antecessores, qua exat in præfatione *Pandeclarum*; & ex his torneamentis plerumque hominum neces sequantur, ut contigit infauste *Henrico II. Galliarum Regi*, is enim in torneamentis, quæ ad pacem cum *Philippo II. Hispaniarum Rege* recens initam, nuptiasque hujus & *Elizabethæ filiarum cognomento Pacificæ* celebrandas edidit, postquam plures hastas feliciter ruperat, dum ad ultimam manum mitteret, cum *Comite de Montgomery* satellitium suorum Duce congregiens, lanceâ adversarii lorica percussâ ictu vehementi, fragmen scissum callidis prospectum intravit, & oculo dextro faucibus, intra decem dies occubuit, non sine magno utriusque Regni, totiusque Reipublicæ Christianæ mœrore, ut refert *Illelscas libr. 6. historiæ Pontific. cap. 30. §. 2.* Itaque *Gemes Seli mi Turcarum Regis frater Romæ à Pontifice Alexandro* interrogatus post multos ictus, quid ipsi placerent ludicra hæc belli simulacra? Sancte Pater, respondit, si serid hoc sit, parum mihi videtur esse, sin joco, posset etiam id nimium esse. Refert *Pancirola libr. 2. memor. ab. titul. 20.* Idè tam repetitis legibus Ecclesia prohibuit hujusmodi torneamenta sub pœna privationis sepulture: & quia adhuc percreverat in Italia consuetudo, ut non solum privati privatos, verum etiam populi populos ad controversias dirimendas torneamentis uterentur. *Innocent. III.* scripsit ad Antistes Lombardiæ, ut hujusmodi torneamenta extirparent per sacrorum interdictionem, ut refert *Spondanus post Baronium Anno 1198. num. 12.* & cum alio quoque colore, videlicet quia ab ordinario Terræ sanctæ subsidio, & crucis assumptione fideles abstraherentur, *Clemens V.* in Concilio Viennensi omnia torneamenta, & hastiludia etiam innoxia prohibuit sub excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata, & sub interminatione generalis interdicti: quas censuras *Joannes XXII.* instantibus Rege Franciæ, & Navarræ, nec non Germaniæ Magnatibus, revocavit Extravagant. unica *de torneament.* Ad instar torneamentorum prohibita etiam taurorum agitatio intra circum constitutionibus *Pij V.* Anno 1567. *Gregorii XIII.* Anno 1575. *Sixti V.* Anno 1586. *Clementis VIII.* Anno 1597. quas exposuerunt præcipuè pro usu nostræ Hispaniæ, *Marian. de spectacul. cap. penultim. & ultim.* *Gutierrez libr. 1. canonic. cap. 7.*

D. D. Gonzal. in *Decretal. Tom. V.*

Azor. part. 3. instit. moral. lib. 2. cap. 15. *Scottia in select. epit. 99. theore. 244.* *Prado tom. 1. Theolog. moral. cap. 25. quest. 9.* *Baronius anno 120. num. 30. & anno 179. num. 47.*

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet varia ludorum genera jure civili permitterentur ex rationibus supra adductis, de quibus peculiariter tractatus ediderunt *Petrus Faber in agonomist. Mercurial. de re gymnast.* *Pantoja de aleatoribus*, *Zerda in Virgil. libr. 5. Æneid. Franc. Modius libr. 3. tom. 2. Pandect. Triumphal.* *Marian. in opusc. de spectat.* *Bulengerus in opusc. de circotamen* torneamenta, etsi strenuitatis, ac virtutis argumentum præbeant, tamen non carent ingenti periculo, ut in præsentis textu docetur; unde tanquam ludus noxius justè prohibentur ab Ecclesiæ Patribus. Nec obstat alia difficultatis pars, quia licet regulariter verum sit, concessâ penitentia, quod majus est, concedi etiam sepulturam ecclesiasticam, tamen aliquando ad terrorem, & correctionis exemplum concessio viatico sepultura ecclesiastica denegatur, ut in *cap. super eo, de raptoribus*, in Concilio *Ravennat. 2. rubr. 28.* ubi de persistentibus per annum in excommunicatione ita cavetur: *Et si in morte beneficium absolutionis satisfactione præstita meruerit obtinere, nihilominus tamen in pœnam contumaciæ ecclesiasticæ careat sepultura.* Et de adulteris *rubr. 29.* *Et si in morte de prædictis satisfecerit cum effectu, nihilominus tamen in ipsorum contemptum, & pœnam ecclesiasticam careant sepultura.* *Leviter* autem interdicitur sepultura ecclesiastica aliquando, quia sicut impio non prodest sepultura pretiosa, ita non obest pio sepultura vilis, aut nulla, *cap. anima 13. quest. 2.* plura de hac pœna privationis sepulture congesta in *capit. sacris, de sepultur.*

Et supra traditis exponendus est textus in *canon. 4. Concilii Arelat.* in illis verbis: *De agitatoribus, qui fideles sunt, placuit, eos quamdiu turcantur, à communione separari.* In quo canone agitur de Christianis, qui in circensibus ludis aurigæ, & agitatores erant, qui per tempus, in quo in circis agitabant, à communione pellebantur, quia in his spectaculis aurigæ, & agitatores erant diversarum factionum, facileque eorum, quibus interviebant, factionibus sese implicabant, ac in leges ecclesiasticas peccantes, crimina diversa committebant: quare similia spectacula Ecclesiæ Patres fidelibus Christianis prohibuerunt, communionem illis, dum equos agitent, denegata, ut post *Baronium* notavit *Coriolanus in dict. canon. 4. Concilii Arelat.* Ex eadem etiam ratione, quia in ludis scenicis, & theatralibus facile contingit ipsos fabularum actores lethaliter peccare, idè in canone 5. ipsius Concilii Arelatenis ipsis, dum in theatris agunt, communicatio denegatur his verbis: *De theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, à communione separari.* Ex simili etiam ratione, quia apud Gentiles Magistratus Duumvir tenebatur suo anno populo ludos edere, ubi homicidia contingebant, & plerumque idololatria, ideo in *Canon. 56. Concilii Illibert.* Magistratibus eo anno, quo Duumviratum gerunt, permittitur, ut ab Ecclesia se cohibeant, illis verbis: *Magistratum verò anno quo agit Duumviratum, prohibere placuit, ut se ab Ecclesia cohibeat.* In cujus commentariis jam notavi.

B b 2

Sed

IO.
Expli-
catur
can. 64.
Synodi
Car-
thag.

Sed supra traditis, primò obstat textus in can. 64. Concilii Carthag. in illis verbis: *Ne in Dominico, & reliquis Sanctorum festis spectacula nullo modo peragantur, illud quoque præterea petendum est, ut theatralium judiciorum spectacula in Dominico, & reliquis festis diebus à fide Christianorum arceantur: maxime quia in sancti Pasche octava turba magis in hippodromia, quam in Ecclesiis conveniant, debent presmirti ipsorum dies transferri, quando evenerint, nec debet ullus Christianus cogi ad hæc spectanda. Ubi tantùm prohibentur spectacula edi diebus Dominicis, & Paschalibus: ergo quia absolute spectacula, quorum appellatione veniunt torneamenta, non censentur prohibita. Pro cuius canonis expositione dicendum est, discrimen esse constituendum inter ludos vitiosos, ac inter permittos. Vetiti omni tempore, & inter omnes personas prohibiti censentur, ut torneamenta, de quibus in præsentia. Alii verò ludi liciti sunt, etsi non omnibus, nec omni tempore, laicis enim plerumque permittuntur, qui clericis prohibentur, can. 24. Synodi 6. Trul. ibi: *Ne cui liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum, in equorum curricula subsistere, vel scenicos ludos sustinere, sed & si quis clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat.* Sic ergo hæc prodromia, curricula, & venationes, & similia, licet laicis permittantur, tamen diebus Dominicis, aut tempore paschali edi non debent, ex rationibus quas con-*

gesserunt Balsamon in dicto Can. 64. Brissonius in 1. die Dominico, C. de spectac.

Secundò obstat textus in cap. quicumque 4. II. 23. quest. 4. ibi: *Quicumque clericus, aut in bello, aut in rixa, aut in Gentilium ludis mortuus fuerit, nec in oblatione, nec in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis, sepultura tamen non privetur.* In quibus conceditur sepultura decedentibus in torneamentis. Igitur non rectè in præsentia asseritur illis, qui in torneamentis decedunt, concessã penitentia denegari sepulturam. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu agi de clericis tantùm, quibus ludi cum pace minus coherentes, & veluti belli præludia prohibentur, ut probat Abul. in cap. 6. Matthei, quest. 52. qui inter ludos refert saltationem, & torneamenta. Et quoad hæc hastiludia Concilii Salisburg. sub Martino IV. anathemate damnavit clericos, aut ecclesiastica dignitate fulgentes, qui vel armis adhibitis, vel absque eis vacaverint tali exercitio. Tamen si enim remotis armis nullum immineat profliganda vitæ periculum, tamen vel ipsa species bellicæ exercitationis à pace abhorrens dedecet clericos. Præsertim quia à torneamentis absque armis facile progredi poterat ad torneamenta cum armis, ubi frequenter homicidia eveniebant, ut videre est apud Cantipratanum lib. 2. apum. cap. 49. num. 3. apud Cæsareum lib. 12. miracul. cap. 16. & 17. In præsentia verò agitur de laicis in torneamentis decedentibus, quibus diversa pœna imponitur, quia sunt professione diversi.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

CAPUT PRIMUM.

^a Alexand. III.

PORRO si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel si oblatum susceperit, & subierit, sive victor, sive victus fuerit, de rigore juris est deponendus. Sed quantumcunque ejus in hac parte gravis sit, & enormis excessus, evadere potest depositionis sententiam, si cum ipso suus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum, dummodo ex ipso duello homicidium, vel ^b membrorum diminutio non sit subsequuta.

NOTÆ.

I. ^a **A**lexander III. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo cap. 1. & post Concilium Lateran. part. 26. cap. 4. & 5. legitur Salernitano Archiepisc. & in dict. prima collectione additur pars capituli. Licet præter.

Undè cognoscitur in præsentia referri partem textus in cap. licet, de sponsa duor. cap. 1. de corpore vitiatas, ubi jam notavi.

^b *Membrorum diminutio.* Unde dispensat Episcopus in specie textus in cap. 1. de corpore vitiatas, quia amissio partis digiti proprie non est membri diminutio, ut notavit Vasconcellos in harmonia rubric. ad tit. de corpore vitiatas.